

MDCCCXLVII

VITA

SANCTI HILARIONIS ABBATIS

LATINIS VERSIBUS

IN LUCEM EDITA

VICETIAE
TYPIS PARONI APUD J. TRAMONTINI
MDCCCXLVII

ZACHARIAE BRICITO

ARCHIEPISCOPO UTINENSI

Si Civitas Utinensis Te hodierna die regimen Ecclesiae suae suscipientem plurimis maximisque virtutibus spectatissimum, singularique titulo, et pallio a Summo Pontifice Pio IX. decoratum, studiosissima omnium voluntate, magnifico apparatu, et plausu excipit, meritisque laudibus celebrat; nos quoque decet communis laetitiae participes esse, et Tibi in tam excelsum dignitatis gradum ascendenti magnopere gratulari. Tu enim ex hoc Vicetino Seminario, cum omnium

studiorum curriculum ab adolescentia susceptum propter ingenii ubertatem strenue confecisses multiplici doctrina et eruditione ornatus, cumque etiam docendi officio plures annos praeclare functus juvenes primum litteris, deinde eos, qui ministerio divini verbi annuntiandi populis se daturi erant, eloquentia eloquentissimus ipse erudivisses, ad grandia jam, et sublimia comparatus prodiisti. Et quamvis hinc abesses gravissimis muneribus occupatus, locum tamen tuae institutionis

ita memoria tenebas, ut interdum eumdem humanissime inviseres, nosque ea, qua solebas, benevolentia prosequereris. Quid nos igitur? Ut gaudii nostri de tanto tuo honore testimonium publica aliqua significatione extet, non laudationem, qualem hoc tempus postularet, modestia vero tua non pateretur, sed vitam viri sanctitate et prodigiis admirabilis, hoc est Sancti Hilarionis in hoc Seminario latinis carminibus compositam, et ex operibus Sancti Hieronymi, multa tamen cum libertate

haustam Tibi sistimus. Hoc, quaesumus, qualecumque est, obsequii, et observantiae pignus accipe a tuis, qui id a Deo Optimo Maximo deprecantur, ut quod hodie animis omnium et linguis faventibus aggrederis, Tibi et populo tuo universo felix ac faustum perpetuo sit.

Moderatores et Praeceptores
Seminarii Vicetini

Eximium virtute Virum, signisque potentem
Hilariona cano, solus qui munia vitae
Dura colens, auxit multo solamine gentes.
Oh faveas nostris praesenti numine coeptis,
Spiritus alme, precor, potuit quo percitus Heros
Fortia quaeque pati, tantosque referre triumphos.
Ad Gazam Hilarion Tabathae genitoribus ortus
Qui falsos coluere Deos, sic floruit inde
Ceu rosa de spinis. Dum primo adolesceret aevo,
Fovit Alexandria sinu mirata valentem

Ingenio puerum, et facundae munera linguae,
Artesque ingenuas. Hic Christi ubi nomen ad aures
Pervenit, simul et sensit sibi pectore flammam,
Seque illi addixit; cordi hinc non ulla cupido,
Non auri, non laudis amor: non sanguis arenae,
Non circi furor allexit, non pompa theatri.
Nocte dieque orare Deum, veniamque precari,
Et sacras celebrare domos, miserosque fovere
Deliciae puero. Jam tum super aethera notum
Antoni nomen totum compleverat Orbem,
Cum juveni sedet hoc animo, succedere silvis
(Intima flamma trahit), sanctumque invisere Patrem.
Vidit, et obstupuit, tum oculis et pectore toto
Haesit, nec mentem potis est explere tuendo;
Nec rediit, bis dum complent se cornua Lunae:
Intereaque oculis virtutum exempla Magistri
Omnia vestigat, memori omnia mente recondit:
Ut precibusque vigil, longa et jejunia servet
Ipse senex, ut cuique ferat responsa roganti,
Nunc Pater exprobrans, nunc visus ab aethere missus

Eventura docens: alios virtutis amore
Incendat, dictis alios soletur amicis;
Multa Puer rogitat, pendetque docentis ab ore.
At, dia ut vocat aura, sequens, turbamque perosus,
Undique quae Divum morbis vexata petebat,
Ad Patriam tendit. Jam multos immemor annos
Abfuerat, vitaque parens migrarat uterque.
Ipse suas largitur opes, patriamque relinquit
Nudus opum, sed Christi opibusque instructus et armis
Majomam venit. Aegyptum per littus eunti
Obvia limosis fit silva paludibus horrens,
Infida hospitibus tellus et caede cruenta,
Quae terret trepidas, audito nomine, mentes.
His manet ipse locis, sedemque interritus optat
Hanc sibi: palantesque eludens arte latrones
Nunc hic, nunc illic mutata sede moratur.
Obstupuere omnes fama: florebat in annos
Ter quinos: mollesque genae, tum debile corpus,
Frigoris impatiens, aestus, tantique laboris.
Sed stat mente Puer, quem Spiritus impulit auctor,

Spiritus intus alit, toto lux emicat ore.
Induit hic saccum, pretiosaque munera, pellem,
Munera queis lacrymans abeuntem Antonius auxit.
Carica dat victum, cum se sol condit in undas,
Viminibusque torus languenti sternitur asper.
Quid nunc infensi jactet se Daemonis ira -
In caelum ascendam, statuam super aethera sedem?-
Infert arma Puer prius in certamine victor
Vinci quam possit, pugnaeque pericula noscat.
Undique at ille dolis furit, omnibus obsidet armis,
Allicit et sensus, turpique ossa implicat igne,
Impurisque aures dictis, tum corda nefandis
Turbat imaginibus, nec dat requiescere bello.
Heu! Puer infelix, tot per discrimina vitae
Intemerate Puer! mentis quid candor in ore,
Virgineumque decus prodest, solique recessus?
Cogitur ipse suis, nunquam quae noverat insons,
Fœda haurire oculis, quem nunquam expertus, amoris
Pectora torqueri stimulis. Succenset at uni
Ipse sibi in membra invertens innoxia vires,

Unguibus ora petens, et pulsans pectora pugnis:
Quid, quid, aselle, furis? corpus sic increpat ultro,
Conficiare fame atque siti; te pondere vasto
Ipse premam, nec parcam aestus et frigora passo.
Dixerat, atque Deum votis precibusque fatigans
Clamat opem, lacrymisque sinum perfundit obortis.
Atque ut succrescunt vires, novus aestuat ardor,
Frangere perpetuo nunc membra labore, quiete
Nec laxare diu, aut somno permittere noctu,
Texere nunc calathos, rastro nunc vertere terram:
Sic cedunt ignes animo, sic corpore vires.

Nox erat, ipse oculos coelo defixus, et alte
Corde haerens dia recreabat imagine mentem;
Cum subito impleri querulis vagitibus aurae,
Foemineisque procul resonare ululatibus antra,
Et mugire boves, simul alta per arva leones,
Et vario pecus omne sono simul exaudiri,
Horrendum! simul armorum, sonitumque tubarum,
Miscerique virosque ferasque per arma ruentes:
Late excussa tremit tellus, coelumque remugit.

Constitit Ille anceps primum, pavor intima pulsat
Corda, peti sed ubi sensit se Daemonis arte,
Signavit sibi fronte Crucem, jam fortior antro
Erumpit, cupido infernas tum lumine turbas
Quaerit ovans, spernitque minas, pugnamque lacessit.
Vasti pallebant Lunae splendore recessus,
Quos prius audierat, nullos circumspicit hostes.
At procul ecce fragore sonans et turbine vasto
Fertur equis currus, magis ecce, magisque propinquat,
Fulmineasque rotas, flantesque e naribus ignem
Horret equos, jamjamque super se plaustra trahentes
Hilarion trepidans ... at Jesu, clamat, Jesu.
Mira loquor: tanto tellus cum nomine hiatu
Immani patuit, barathroque absorpta caterva est,
Et trepidum circum tenuere silentia lucum.
Ipse Deo grates dicebat carmine sacro. -
Numen equos equitesque simul disjecit in undas,
Alter fidit equis, jactat se curribus alter,
Magna mihi virtus, ingens mihi gloria Numen. -
Non omnes possem centum vel dicere linguis

Daemonis insidias. Quoties instare cubanti
Per somnum mulier lascivis visa lacertis!
Jejuno quoties lautis ante ora paratae
Mensae epulis! ululans orantem terruit ursa
Praeteriens, antri aut saliens in limine vulpes.
At vero bini districtis ensibus adstant
Ante oculos pugiles: furiales ictibus iras
Exacuunt, viresque novant: fluit undique sanguis.
Arduus insurgens alter jam vulnera strato
Ingeminat victor, subitusque recedit in auras;
Ast alter Divum media moribundus arena
Poscit opem, terraeque, rogat, det corpora saltem.
Nunc impressus humi os, trepidus dum Numen adorat
Mens forte invito precibus defessa quiescit;
Protinus inferna Daemon de sede remissus
Ingruit, atque equiti similis magno impete dorso
Insiliens, latera aeratis calcaribus icit,
Atque caput pugnis, flagris et verberat armos
Irridens: quid, aselle, jaces, quidve otia quaeris?
Herbas fastidis? rogita, sunt hordea praesto.

Quas non experta est artes? quid liquit inausum
Improba vis Orci? quae se non vertit in ora?
At frustra impetitur, fit namque valentior ipsa
Pugna Heros, rabidoque magis metuendus Averno.
Asperiora tamen fessis parat artubus ipse;
Extruit arte casam, qua sat, nisi corpore curvo,
Haud totus capitur, vel stans terraeve recumbens,
Ut mandaret adhuc spirantia membra sepulchro.
Inculto ore, semel crinem qui tondet in anno,
Nec vestem mutans unquam, foedamve fluenti
Fonte lavans: quaesisse nefas nemora alta colenti
Munditiem ipse ratus; precibus nec destitit unquam,
Nunc resonare docens divino nomine silvas,
Nunc terrae oblitus, vectus super aethera mente.
Esca qui vero possit, quî parcius uti
Hilarion? cui, quae sterilis dat gramina lucus,
Sive quibus virgulta solo radicibus haerent,
Praebet mensa cibos, aut cum vili hordea lente,
Aut insuavis olus, donum silvestre, saporis;
Quod si genva labare sibi, vel viribus aegris

Caligare oculos, lentamque incessere sentit
Membra luem, mensae munus superaddit olivae:
Quo gravior senio est aetas volventibus annis,
Vilior esca sibi fit adhuc, tum parcior usus.
Interea huc olim, apparet cum Vesper Olympo,
Nescio qua veniunt compulsi mente latrones,
Sive animos praedae spes, sive incenderet ira.
At postquam passim deserta per invia fusi
Quo lateat juvenis, quaerentes, abditus antro,
Intima nunc silvae, ponti nunc littus, et omnes
Lustravere locus, eadem vestigia gressu
Frustra iterum atque iterum relegentes, ecce tenebris
Undique jam pulsis, nitido consurgit ab ortu
Sol velut irridens, laetus simul obvius ipse
Offert se juvenis, comique dat ore salutem.
Atque ipsi, dira ut cessit sententia mente:
Quid tibi, vir fortis, si quando in tecta latrones
Irruerent? Latronem, ait, haud formidat egenus.
Hi contra: potes at crudeli caede necari.
Possum, inquit, possum: non hoc tamen arma tremisco.

Haec jam continget longinquo ex tempore votis
Hora petita meis, superas conscendere sedes,
Hoc animi studium est ingens, haec una cupido.
Hisce stupent illi dictis, ausumque fatentur,
Noctisque errores narrant, veniamque rogantes
Munia jam spondent vitae meliora futurae.
Jamque Palaestinae fama vulgatus in urbes
Hilarion, celeberque hominum volat ipse per ora.
Audiit et mulier longinquis dissita terris,
Infelix mulier! jam multis uxor ab annis,
At nondum mater; quoties dedit illa querelas
Multa gemens, Superosque Deumque in vota vocavit!
Jam gravis ipsa sibi, duroque invisa marito
Alta subire parat nemora, Hilarionis ad antrum
Effusura preces: signum prior ista rogabat.
Nec mora: uti pedibus dederat dolor anxius alas,
Seria volventi secum, et nil tale timenti
Astitit extemplo Patri, seseque volutans
Illius ante pedes, implens clamore recessus:
Dive, ausis ignosce meis, ignosce dolori......

Quid retro torques gressus? nec lumina flectis
Aversus? dicto saltem dignare rogantem.
Non mulier, fatis nimium at crudelibus usa
Sistitur infelix, miseris ne deflce rebus.
Non cui firma salus, medicam sed viribus aeger
Poscit opem: mundo Mulier tulit alma salutem.
Substitit hic tandem: ut multo post tempore visa
Foemina, quae, petiit, tantae sit causa querelae,
Sustulit atque oculos, mittens et fidere jussit;
Quam rursus lapso redeuntem respicit anno
Solventem grates, tenerumque sub ubere natum.

Tum forte insignis praeclaro nomine Gazam
Venerat Elpidius, conjux et venerat una,
Tres una pueri primaevo flore nitentes,
Egregii forma, charique parentibus ipsa
Luce magis: subito cum corripit horridus idem
(Do lacrymas referens) natorum corpora morbus.
Pharmaca nulla ferunt miseris, ars nulla salutem,
Ultima fata premunt: inopino territa casu
Mater multa movens animo, labefacta dolore

Hac, illac ululans, amens, incerta pererrat,
Incerta heu! cui sit praesto, cui prima suorum
Oscula mixta ferat lacrymis, quem nomine primum
Jamjam anima fugiente vocet, quem morte peremptum
Deflere incipiat, matri heu! sunt omnia mente.
Cum subit Hilarion, ventis simul ocyor ipsa
Irrumpit silvas, fida comitante caterva.
Ut procul aspexit placido procedere vultu,
Ingeminat questus, et toto pectore clamat:
Oh Pater, una salus, Pater oh miserere dolentis:
Per ...... si dulcis amor, cordi est si maxima cura,
Cui pia thura dedi, nomen venerabile Jesum,
Perque Crucem aeternae populis insigne salutis,
Oro, perque sacrum rubuit quo Sanguine tellus,
Oro Pater, si te Christi modo gloria tangit,
Vise domum, morbo natos mox vise jacentes,
Ingrediare urbem, vastis simulacra ruinis
Procumbent Marnae; morborum templa potenti
Surgent sacra Deo. At renuit decedere silva
Hilarion, metuens urbes, hominumque tumultus.

Clamat at illa magis, fatisque atrocibus audax,
Postquam utraque manu Divi complexa negantis
Genva tenax, lacrymisque rigans, atque oscula figens
Nequicquam supplex iterumque iterumque rogavit,
Mente furens, membrisque tremens, ac more jubentis:
Redde mihi natos, praedamque, ait, abripe morti,
Namque potes, miserae natos mihi redde parenti:
Si renuis, non te linquam: non ipsa revisam
Amplius horrentem natorum funere sedem,
Hic peream, et vitam absumat, si caetera, lethum.
Dixit, quisque dabat lacrymas, flens ipse negabat.
Quid faceret? victus tandem moerore parentis,
Circum ut densantur, subducto Sole, tenebrae,
Ingreditur Gazam; ut funesta silentia tectis,
Viditque uno omnes luctu pallescere vultus,
Semianimesque toro, victosque sopore profundo
Natorum, trepidosque artus jam morte propinqua,
Ingemuit, coelum suspexit, opemque rogavit.
Protinus arentes membris (mirabile dictu!)
Conspicis effuso pueros sudore fluentes,

Protinus, efflueret veluti si corpore somnus,
Quaerunt lucem oculis circum, firmaque dolentem
Voce vocant matrem, sanctae dant oscula dextrae
Morbo laetantes extemplo membra soluti.
At dignas meritis nescit quas solvere grates
Prosequiturque oculis toto haerens pectore euntem
Mater inexpletum lacrymans. At fama per urbes
Bacchatur, multosque suis a finibus actos
Cogit adire Virum: refluunt per inhospita plenis
Turba viis, Christique ferunt ad sidera nomen.
Tum solam optantes in sylvis degere vitam
Ille una secum concordi foedere fratres
Hac jungit regione prior, quos ipse magister
Spernere opes, orare Deum, virtute potiri,
Edocet in terris coelesti vescier aura
Dictis non mortale sonans, Deus ore putandus.
At qui fit gemitus? qui fertur plangor ad auras?
Tristis adest mulier, dulcis quae luminis expers
Tentat iter manibus, Divi dent tangere vestem
Exposcit saltem, et fati miseranda referre.

Capta oculis denis casum lugebat ab annis
Omnem nequicquam virtutem experta medentum,
Atque suas absumpsit opes, nunc lumine caeca
Pauperiem et patitur, nec spes est ulla salutis.
Cui Divus: si quae es medicis largita, dedisses
Pauperibus, medicus sanasset vulnera Christus.
Ingemit ipsa silens, lacrimansque, et brachia tendens,
Flent omnes, omnesque rogant, vox omnibus una:
Luce frui, alme Pater, miserae da cernere coelum.
Tunc illi accedens propius linit ipse saliva
Lumina: largoque extemplo splendore paventi
Cuncta creata micant: dius sic ipse Magister
Olim, sic eadem sequitur post saecula virtus.

Tum cursu Gazensis equos auriga lacessens,
Dum ceu calle volans totas effundit habenas,
Daemonis arte mala percussus, corpore toto
Obriguit, lapsusque e curru immobilis artus,
Pondus iners, lectoque jacens miserabilis astat.
Si Christum ipse colas, talique ex arte recedas,
Divus ait, membris dabitur depellere morbum.

Omnia pollicito fervent in corpore vires.
At quo te versu, juvenum fortissime, dicam,
Marsitan infelix? quo non praestantior alter
Aut fulciri humeris immania pondera latis,
Aut obluctantes multorum vincere nisus,
Viribus exultans magnis et corpore vasto,
Vertice toto omnes superans, ultro ardua quaeque
Aggrediens, palma fortes excedere tauros
Herculeisque potens quercus vulsisse lacertis.
Ipsius (horresco referens) in corpora Daemon
Irruit immanis: furias, fractasque catenas
Quid memorem, aeratosque everso cardine postes,
Infectamque cruore domum, moestosque ululatus?
Haud secus acta fame si quando e montibus altis
Rura leaena oculis spirans immane pererrat,
Diffugiunt omnes, gelidus tenet omnia terror.
Ipse furens animis, unus magni agminis instar,
Dentibus infrendens, quae dat sors, arripit arma,
Perque vias passim discurrens ore cruento
Cui guttur ferro caedit, cui morsibus aures

Amputat, hunc immisso elidit pectora saxo,
Obtruncat nares illi, caede omnia miscet.
At victus tandem numero, vinclisque gravatus
Saevi instar tauri, aut tigridis quam fraude fefellit
Venator, magno turbae haec ad tecta tumultu
Mole ferens sese magna, vultuque minaci
Pertrahitur. Solvi, ut vidit, jubet Ipse, catenis.
Attonitis stupuere animis, hirtisque capillis
Constiterunt omnes jussu, at praecepta facessunt.
Flecte caput, propiusque adsis, sic ore locutus.
Tum tremere ille statim, tum flectere tempora Divo,
Tollere nec vultus ausus, contraque tueri
Sed turbari oculos, simul et mansuescere corda,
Atque solo Patris projectus lambere plantas.
Septima lux aderat, cum jam contendere contra
Frustra connisus Daemon virtute potenti
Adjuratus abit, possessaque membra relinquit.
  At cur te sileam, princeps Ailae urbis Orion,
Quem legio tenebroso emissa invaserat Orco?
Ipse manus, latera, atque humeros, et colla, pedesque

Obstrictus vinclis, oculisque minacibus ardens
Sistitur ante Patrem, sacrarum dum abdita rerum
Mente agitat secum, et sanctos componere mores
Ore docet fratres ; subito cum saevit Orion,
Horrendumque insueta rudens, fractisque catenis
Vi multa, nisuque potens, ululansque suorum
Expedit e manibus sese, ac velut actus in hostem,
Irruit in Divum, et vinctum post terga lacertis
Sustulit e terra : cunctorum it clamor ad auras :
Corda micant, diversisque in contraria curis
Stant animi, quid agant, incerta mente feruntur.
At, sinite, arridens inquit, linguisque favete,
Nec pugilem removete meum: simul ore sereno
Dextra humeros super excurrens, et crine prehenso,
Contra se statuit, manibus tum vinxit utrasque
Ipse manus, pedibusque pedes calcavit utrosque,
Impia, ait, torquere, iterum torquere caterva.
Interea ore ululat miser, et cervice reflexa
Vertice pulsat humum. Divus tum, solve, precatur,
Solve, Deus, miserum, Satanae quem turba revinxit.

Sic unum Jesu, sic est tibi vincere mille.
Non audita prius dicam miracula rerum.
Dirum diversas simul ex uno ore sonantes
Audires voces, quales populi undique circum
Clamantis, qualisve, dehisceret infera si quo
Umbrarum sedes casu, mundi omnia complens
Inde sonus; cunctisque stupentibus astat Orion
Incolumis. Sed non longo post tempore rursus
Ad loca nota memor meriti, laetusque salutis
Ille redit, sanctique ardens senis ora tueri
Ipsa simul graditur conjux, natique sequuntur.
Utque virum Hilarion venientem, ac munera secum
Plurima portantem vidit, sic increpat ultro:
Ignoras quae damna miser, poenasque Giezi
Infandas tulerit, simili quae crimine Simon?
Ignoras? cepit pretium prior, obtulit alter
Caeleste in munus, mercator uterque nefandus,
Haec ceu dona forent vili exaequanda metallo.
Accipe, parva licet, mea munera, dixit Orion
Effundens lacrymas, inopumque haec divide turbae.

Tu melius, solitus varias errare per urbes,
Fortunam, miserasque vices qui noscis egenûm,
Divitias largire tuas. Aliena quid optem,
Qui mea deserui? Multis sitis arsit avara
Nomine egestatis tacita praecordia flamma.
Arte caret pietas: nemo dat plenius illo,
Qui sibi nil servat. Genibus sese ille volutans
Stabat demissa prodens in fronte dolorem.
Supprime jam fletus, inquit; mihi namque negando
Prospicio, rebusque tuis: data munera demens
Si forte accipiam, vultu non amplius aequo
Me Deus aspiciet, legioque emissa priores
In tua damna ferox iterabit acerbius iras.
Sic curae emotae, pulsusque e pectore moeror.
Jamque tua ante oculos occurrit tristis imago,
O Majumites, Gaza qui missus ab urbe
Impiger aequoreo lapides dum litore caedis,
Improvisus humi funesto concidis ictu,
Atque opere in medio tremefactis artubus haeres;
Teque metus lacrymantum inter, moestasque querelas

Delatum a sociis, pallentem morte futura
Divus ut aspexit, redeunt in corpora vires,
Desertumque resumis opus, litusque fatigas.
Hic aliud magno succendit corda tumultu
Prodigium, Gazaeque implet rumoribus oras.
Italicus, caeli Numen qui rite colebat,
Circenses nutribat equos, contraque duumvir
Gazensis culto certabat numine Marnae.
Mos erat imperio in magno, quem Romulus olim
Rettulit, atque alii Latias docuere per urbes,
Ut Conso ob raptas felici sorte Sabinas
Consilii Divo septenum auriga per orbem
Curreret, adversosque cito qui fregerit axe
Acer equos, clarum late victoria ferret.
Ast erat in Circo, inferna qui voce frementes
Christiadae tardaret equos, magicisque inimici
Quadrupedes stimulis ageret, ferretque per auras.
Quid faciat, qua vi currum, quave audeat arte
Eripere Italicus, foedasque avertere fraudes?
Convenit ille virum, quo noxia cuncta recedunt,

Et supplex: hosti cladem non imprecor, inquit,
Sed mihi, namque potes, patefactas hostis inermi
Defende insidias. Volventi seria Patri
Indignum visum est pro nugis poscere signa;
Subridensque: tui te salvum ad sidera tollent
Quadrupedes, velles inopum si vertere in usus
Quadrupedum pretium. Non mens mihi ludere Circo,
Respondet; patrio vocor in certamina more
Invitus: nec fas magicas concurrere ad artes
Christiadae; orandum potius, Christique petendum
Auxilium a famulo, vel Gaza ut sentiat istud,
Gaza inimica Deo, caeli terraeque potenti,
Quaeque mihi, Christique adeo cultoribus ausa
Insultare piis: minus haec me infamia tangit.
Continuo unanimes hoc ipsum exposcere fratres,
Italicumque juvare, et Patris flectere mentem.
Forte calix aderat (Divus consueverat uti)
Fictilis: Hilarion illum bonus imperat unda
Impleri, tradique viro: vas accipit ardens
Italicus, portatque domum, miroque liquore

Spargit equos, spargit stabulum, currumque obicesque
Carceris, aurigasque suos. Venit agmine magno
Ad circum, expectatque inhians certamina vulgus.
Scilicet haec tota vulgaverat aemulus urbe
Irridens: studiis contra quicumque favebant
Italico, certa miscebant gaudia palma.
Utque datum pugnae signum, volat aequore currus
Christiadae, rapidaeque rotae ferventque, ruuntque.
Alterius stridens paulatim volvitur axis,
Tergaque tangentis metam vix conspicit hostis.
Fit clamor, varioque virum sonat aethra fragore;
Quosque superstitio cepit, proh! vicit Jesus,
Et Marnas, clamant, veteres amittit honores.
Ast inimica manus magno inflammata furore
Te, venerande senex, dictis sectatur acerbis,
Auctoremque mali increpitat, poenasque reposcit.
Interea Italicum per compita victor ovantem
Ducit equus. Radios hinc late effundere visa
Relligio, tristique diu sub nocte sepultas
Sole novo irradiat, pulsa caligine, mentes.

Haud tamen invisam patitur requiescere stirpem
Daemonis ira gravis, damnisque infracta recedit.
Virgo erat, intactum caelo quae voverat aevum,
Gazensis, cujus juvenis correptus amore
Insanam caeco nutribat pectore flammam.
Heu! quibus ille modis miserae pervertere mentem
Aggressus! quae letifero conspersa veneno
Arma tulit, nivei discrimen triste pudoris!
Ut pavida in silvis, milvo veniente, columba,
Extimuit virgo subito, trepidansque refugit.
Ille furens, victusque animi, semperque repulsus
Consilium stimulis collectae concitus irae
Concipit infandum. Memphim contendit ad urbem
Perditus, incensi patefacto ut vulnere cordis
Inferna virtute domum, magicaque rediret
Arte potens. Spatium jam sol confecerat anni,
Cum Divi in templo, medicae qui praesidet arti,
Dirum afflans animis virus, non dona salutis,
Noxia sacrilegûm doctus per carmina vatum
Indignos veniens volvebat corde triumphos.

Advolat ille malus miserae sub tecta puellae,
Caecaque verborum foribus portenta sub ipsis
Atque figurarum cyprio defodit in aere.
Extemplo virgo furiali ardescere taeda
Infelix, raptisque manu de vertice vittis
Flaventesque rotare comas, juvenemque vocare
Dentibus infrendens: affusa peste per artus
Lymphatam hac illac teterrimus hostis agebat.
Infelix igitur lacrymis comitata parentum
Flammantes turbata oculos, atque effera monstro
Ad claustrum trahitur, sacrataque limina virgo,
Mirificique senis tutis concreditur ulnis.
Extimuit latitans subito, atque expalluit anguis
Numinis impatiens, et terrifico ululatu:
Vim passus feror huc, exclamat: quam bene Memphi
Ludebam caecas hominum per somnia mentes!
Heu quanta excrucior poena! me cogis abire,
Licia quem nodo retinent, et lamina vinctum?
Non abeo, ni me dimiserit ille solutum.
Tum senior: magnae praesto tibi pectore vires,

Licia quem nodo retinent, et lamina vinctum.
Fare age : cur ausus talem vexare puellam,
Quae jam sacra Deo, penitusque in viscera labi ?
Virgineum ut casto servarem in corpore florem.
Eximius custos! rabido sic improbus agnam
Ore lupus servat, teneram sic ungue columbam
Accipiter. Non haec, sceleris te dignior auctor.
Huic jam, respondet, molli sub corde latebat
E sociis unus, flammamque afflabat amoris.
Quid senior? Non flagitii mala signa reposcit,
Spiritus immundus magico ne carmine visus
Maturasse fugam, fictis vel vocibus hostis
Ipse dedisse fidem. (Nam haec, inquit, callida turba,
Huic artes ambire viros, et fallere verbis)
Sed mox, luctificum qua terret voce tyrannum,
Imperat, ejecitque malum, incolumemque puellam
Reddidit, incautamque gravi simul arguit ore,
Fugerit hostiles quod non vigilantior astus.
Te quoque Germanis memorem regionibus ortum,
Cui flavi rûtilant crines, et corpora candent,

Constanti illustris miles, quem sparsa per orbem
Fama viri tanti longinqua traxit ab urbe.
Infera vis teneris quam te cruciavit ab annis?
Qui noctu gemitusque tibi, querulique ululatus?
Hilarion quae causa viae, qui spiritus intus
Te vexet, videt e vultu, linguasque loquentem
Ignotas, graecamque, syramque, in nomine Jesu
Salvat ab hoste, et tranquillas dat ducere noctes.
Hic vero audiri strepitus, et stridor ad auras.
Quid petitis sedes animalia saeva quietas?
Vos etiam rabies premit implacata tyranni!
Ecce trucem e Bactris ingenti mole camellum,
Multorum excidium, solidis hinc funibus atque hinc
Triginta ante illum juvenes clamore trahebant.
Sanguinei ardebant oculi, atque e faucibus atras
Lingua volubiliter spargebat turgida spumas
Rugitu immani. Dissolvi praecipit Heros.
Diffugiunt omnes, atque ipse ferae obvius unus:
Me terres, daemon, tam vasta mole? cameli
Os, vulpisve feras, nullo discrimine semper

Unus es atque idem; et protensa, talia fatus,
Perstabat dextra. Patulo mala bellua rictu
Irruit atque furit. Sed mitis facta repente
Illius ante pedes prono se vertice sternit
Illico in obsequium. Mutata ferocia mentes
Cunctorum attonuit. Tunc talibus incipit Heros:
Quid mirum has pestes hinc erupisse sub auras?
Scilicet humanam penitus dum perdere stirpem
Rex tenebrarum ardet, pecora ipsa, armenta gregesque
Quidquid et illorum est usquam, petit improbus: illum
Usque adeo generis vexant odia impia nostri.
Quot Job infandas clades, quot funera passus!
Quidve, jubente Deo, medio duo millia ponto
Praecipitata suum, magnam testantia turbam,
Quae miserum obsedit tenebris emissa profundis?
Talia monstrabat Divus, causasque docebat.
At vero cunctas signorum dicere formas
Cunctaque servatae percurrere nomina turbae
Quis queat? Ipse virum tanto jam munere signat
Rex caeli, ut longe tacitis Antonius oris

Gestiat, eximio Divi perculsus honore,
Mutua epistoliis audire, et reddere verba.
Si quando aegrotos senior, Syriaque profectos
Ad se jam fesso cernit contendere gressu,
Sic prior alloquitur, placido sic arguit ore:
Quid vos tam longo voluistis frangere cursu,
Cum praesto ille meus vicina natus in acta
Hilarion subitam praesens donare saluem?
Innumera interea virtutis imagine tantae
Claustra Palaestinae passim per litora condi
Aspiceres; illuc omnes concurrere certant.
At pius Hilarion caelestis munera dextrae
Admirans solvit divinas pectore laudes,
Et quemque egregiis caelo se attollere factis
Incendens, patria testatur voce per oras:
Transit (quid sequeris?) mundi pereuntis imago:
Immensum decus, et regnum, periturasque nunquam
Gaudia praesentis pariunt incommoda vitae:
Dixerat. At quem te memorem, cum tempore certo,
Aute suos mitis ponat quam vinea foetus,

Officii, comisque animi monumenta daturus
Ad fratrum angustas deserto in litore cellas
Pergere consuescis? Fratrum ut videre catervae,
Addunt se socias, et tecum limina lustrant.
O qualis pietatis amor movet undique gentes!
Accipiuntque viros ultro, recreantque labantes :
Tum procul et fratres, ingentique agmine mirum
Vidit Elusa senem Cades deserta petentem
Visere discipulum. Casu tunc annua pompa
Excierat populum, Venerisque in templa vocarat.
Illam Luciferi venerantur nomine cives,
Luciferi, quo non aliud Panchaia numen
Majus habet, vel cui plures incendat odores.
At vero ut populi in templo pervenit ad aures
Adventare virum (is multos a daemone pressos
Solverat imperio) veniunt ex ordine matres
Cum natis, unaque patres, dextraeque potentis
Implorant sacrum submisso vertice signum,
Qua moriens quondam soboles divina pependit.
Quos blande accipiens senior, vultuque benigno:

Numen, ait, Numen, totum quod temperat orbem,
Haud lapides colite. Et lacrymans, et sidera spectans:
Si Christo dios mutati fertis honores,
Ipse quidem referam crebros ad moenia gressus.
Ingens prodigium! cunctis hortantibus, ille
En templum designat humi, Venerisque sacerdos
Projecit lauros, Christique insignia cepit.
Laetus iter sequitur, natosque invisere pergit.
At tu, qui flammam condis sub pectore avaram,
Ecquid agis? Patri cupienti huc flectere gressus
Bella paras? Positisque audax custodibus uvae
Et glebis, tortaeque (nefas!) vertigine fundae
Deterres? Hoc autem ipsum praesenserat Heros.
Cerne Sabam, facilemque animum, cui dextera nomen
Larga dedit memori, tibi parcior abstulit aevo.
Ille ducem, sociosque viros invitat in agros,
(Nam Domino sacer ille dies), ut, tarda prinsquam
Apparens caelo indicat convivia Vesper,
Emensae jucunda viae levet uva laborem.
Tum Divus: male sit, quot sunt, qui corpora primum

Posthabita curant anima: nos ante canamus
Divinas laudes, sic dein intrabitis agros.
Assensere omnes: perfectis ordine sacris,
Vineto Hilarion dixit bona verba feraci
Stans celso in tumulo. In collem tria millia fratrum
Immissa, et quisquis decerpens vitibus uvas,
Ut lubet, ora rigat largo sitientia succo.
Ecce autem, mirum! lux ut vigesima fulsit,
Tergeminos Domino maturat vinea foetus
Luxurians, subitoque novos mirata racemos.
At tibi squalet ager, tibi spem vindemia fallit,
Ceu vindex culpae, sepostaque dolia in annos
Venturos spectas pro vino reddere acetum.
En multis promissa fides, quaeque ille canebat.
Horruit usque pater, quisquis sibi vivere soli
Eligit infidus, curasque extendit in aevum
Cautior, et nimium labentia commoda quaerit.
Quin etiam fratrem, cui parva pecunia, et horti
Sollicitum cultura tenet, studiumque futuri,
Respuit indignans. Quoties sese obtulit ille

Hesychio supplex! quo non jucundior alter
Divo erat: attulerat ciceris quoque dona virentis
Hoc orans, parcaque bonus sub vespere mensa
Hesychius posuit; subita ut re concitus Heros:
Non posse, exclamat, graveolentia gramina ferre;
Unde haec, quisve tulit? quidam de fratribus, inquit,
Primitias agri. Tetrum non inter odorem,
Mox subdit senior, foetere in gramine foedam
Noscis avaritiam? brutis haec porrige bubus,
Si comedant. At ubi gramen sensere, repente
Turbati exiliunt trepida formidine tauri
Mugitu insolito, et ruptis praesepia vinclis
Diversi effugiunt. Odor illi protinus unus
Prodit, quo vitio, quo daemone quisque laboret.
At socios cernens claustro jam vivere vasto
Innumeros, magnoque homines turbante tumultu
Aegros, infernove agitatos agmine duci,
Omnigenaque manu impleri deserta virorum,
Flebat, et ardenti vitae solius amore
Incensus veterem revocabat pectore morem.

O Pater, unde tibi lacrymae? quae causa doloris?
Orabant fratres, quibus haec sic reddidit Heros:
In media heu! rursus redii discrimina mundi,
Quem liqui, atque actae hic misero data praemia vitae.
Ecce Palaestinae, vicinaeque incola terrae
Me quidquam putat, et claustri mihi nomine vilis,
Ut curatori fratrum, jacet aede supellex.
Talibus ast illi dictis, gemituque dolentes
Divum observabant omnes, prior omnibus illum
Hesychius, caroque pius pendebat ab ore.
Hic tamen ille duos moerendo traxerat annos;
Cum flammam pietatis alens in pectore conjux
Elpidii, decus ostentans non illa mariti,
Advenit, tacitos deinceps aditura recessus
Antoni, lacrymis Divus cui fatur obortis:
Ipse quoque ire velim tecum, ni carcere clausus
Istius tenear tecti, aut si fructus eunti.
Bis coelo orta dies, cum tanto orbata parente
Tota dolet tellus. Haec fanti credidit illa,
Substitit, et parvo verus post tempore mortis

Nuntius heu! tristi renovavit corde dolorem.
Mirentur portenta alii, mirentur amorem
Jejuni, doctrinam alii, moresque benignos:
Me laudis, blandique movet contemptus honoris.
Pontifices humilis celebrabant limina tecti,
Quique colunt deserta viri, sacrisque ministrant,
Nec non matronae (discrimina magna) potentes
Christiadum, turbaeque ignobilis undique vulgi,
Tum populi proceres, ut sacri munera panis
Aut olei acciperent. Divus loca inhospita quaerit,
Solus et ignotis meditatur vivere terris,
Quo se non homines usquam, non fama sequatur,
Jam molitur iter, ductusque astabat asellus;
Longa adeo fregere seni jejunia vires,
Ut vix invalidis firmet vestigia plantis.
Ecce Palaestinae tanti praenuntia damni
Fama volans fratrumque domos et litora complet,
Divum efferre pedem, veteresque relinquere sedes.
Turbatae admonitu mentes, trepidoque tumultu
Millia multa virum, matres juvenesque senesque

Concurrunt: orare omnes et tendere dextras,
Ne linquat miseros pater. At mente haeret in ipsa
Firmus, nec precibus senior lacrymisque movetur.
Ille etiam baculo fulvam percussit arenam
Talia vociferans: haud unquam vana putabo,
Quae Numen monuit verax. Non diruta possum
Templa arasque Dei, non juxta cernere nostros
Vitam exhalantes multo cum sanguine natos.
Tunc omnes patefacta futuri nuntia damni
Cernebant oracla viro, quae pandere nollet.
Et tamen hunc retinent. Ergo omnes voce catervas
Implorans, non ante dapes non pocula dicit
Sumpturum, quam se dimittant. Tristia demum
Septem perpessum totos jejunia soles
Turba sinit miserata senem, multisque querelis
Ingrediens, lacrymasque ciens comitatur euntem.
Ventum ubi Betillum, cursus iterare retrorsum
Hortatus populum, et sedes remeare paternas;
Atque quater denos legit de fratribus Heros,
Parcere qui dapibus possent, dum vesper Olympo

Procedens tandem radiantia panderet ora.
Aegyptum venit, Lychnumque invisere fratres,
Theubatumque adiit cupidus tibi jungere dextram,
Antistes, cultorque Dei generose, Draconti;
Nec via dura, invicte Philo, deterruit ipsum,
Quin tibi cum sociis longe Babylona veniret.
Ut, presente viro, cessere incommoda vitae,
Nec miserum exilium, quo vos Constantius illic
Impius afflixit scelerati fautor Arii!
His vero egressum terris castrumque Aphroditum
Et domus accepit Baisanis: hic ire camelis
Ad sedem Antoni, et multos vectare solebat.
Advocat Hilarion fratres, ac talia fatur:
Ecce dies revolutus adest, mihi semper acerbus
Semper honorandus, nostrum qui morte magistrum
Eripuit mundo, atque novum decus intulit astris.
Nunc ire ad tumulum mihi mens, noctemque beatam,
Terra ubi sancta sinu Antoni complectitur ossa,
Pervigilare aveo, meritas et solvere laudes.
Ergo iter aggressi, ac tres per loca inhospita soles

Horrida, deserta, immensisque patentia arenis
Perducti optatum lapidoso tramite montem
Devenere viri. Laeto adventantibus ore
Discipuli Antoni, primusque fit obvius Isac,
Isac ejusdem interpres fidusque minister.
Stat mons immanis, pendentibus undique saxis
Praeruptus, visuque altissimus : humida circum
Tellus ex imis stillat radicibus undas,
Quae vel humo epotae, vel per declivia lapsae
Conveniunt rivo, et socio simul agmine currunt.
Plurima utrinque viret florenti margine palma,
Herbososque toros late complectitur umbra.
Aspiceres avidum optatis discurrere passim
Hilariona locis, fratres cui singula monstrant
Discipuli Antoni : juvat ire, bonique magistri
Culmina trita solo, cultumque agnoscere montem.
Hic, ajunt, orare senex, hic psallere suetus,
Hic operi locus, haec sedes gratissima fesso.
Quae vites, teneroque adolescunt vertice plantae,
Antoni posuere manus: hanc adspice porro

Areolam, magnoque lacum sudore cavatum,
Unde arens bibit hortus aquas: hic sarculus ille est,
Findere quo glebas plures consueverat annos.
Ut ventum ad cellam, Divique cubilia vidit,
Procumbit strato Hilarion, atque oscula figit.
At parva aequali quadratur parjete sedes,
Ut capere in lecto possit satis illa cubantem.
Praeterea binae magna se vi ad juga montis
Ardua tollenti occurrunt in vertice cellae,
Primae instar, saxo excisae, quibus ostia tantum
Addita, et exigui reserantur cardine postes.
Illae saepe senem, venientes undique turbas
Cum fugeret, sociosve per alta silentia silvae,
Accepere domus. Tum cinctum sepibus hortum
Ostendens Isac: viridantia cernitis, inquit,
Haec olera, et teneris pomaria consita plantis?
Haec jam cum multi vastarent undique onagri,
Ille gregis nutu ductorem sistere jussit,
Percutiensque latus baculo: quid carpitis, inquit,
Quae non sevistis? cessere, nec amplius ausi

Arboreas tetigisse comas, aut gramina morsu.
Hic vero tumulum, Divi qui clauderet ossa,
Cernere quaerentem fratres traxere seorsum.
Num locus ostensus, nostras non venit ad aures.
Namque haec discipulis moribundo Antonius ore
Dixerat: ignoto poni se velle sepulcro,
Ne fors vicinum translato corpore in agrum
Pergamus ante alios illic ditissimus omnes,
Tormentum cineri, saxo monumenta superbo
Conderet. Usque adeo sese demiserat Heros!
At montem Hilarion linquens, iterumque Aphroditum
Ingressus vicina statim deserta petivit,
Atque novam Antonî e tumulo ceu pectore flammam
Hausisset, tam saeva silens jejunia durat,
Tum primum ut Domini memoret didicisse supremi
Servitium. Sed ibi jam tertia venerat aestas,
Cum nullos magnis candens ardoribus imbres
Aethra dabat, sterilesque urebat Sirius agros,
Arebant herbae, et cunctis seges horrida sulcis.
Quippe eadem letum deflere elementa ferebant

Antoni. At longi non te potuere recessus,
Hilarion, texisse diu. Matrumque, virûmque
Extemplo miseranda manus, deperdita luctu.
Exesisque genis venit, et fame adacta suprema,
Et pluviam exorant flentes. At Divus ut ora
Conspexit, magno commotus corda dolore
Lumina cum precibus, duplicesque ad sidera palmas
Protendit: simul hoc, simul altus inhorruit aether
Nubibus, et nigro glomerantur turbine nimbi,
Ingeminant ignes, et late it plurimus imber.
At sitiens ubi aquas hausit, penitusque rigata
Terra tumet, laxatque sinus lutulenta per agros.
Eloquar? an sileam? serpentes undique campis
Prosiliunt diri, linguisque micantibus errant,
Letiferumque vomunt animalia saeva venenum:
Invadunt homines, et stringunt corpora morsu,
Inflantur, subitamque intentant omnia mortem.
Quae damna infelix hominum, quae funera tellus
Aspiceret! Quantis resonarent questibus arva,
Ni miro Hilarion sanasset vulnera olivo!

Ergo ubi prodigii claros praesentit honores,
Effugit, extremaeque specus aditurus Oasae
Ad Pharios tendit portus. Ibi rura petentem
Fratres, quos alibi norat, sub paupere tecto
Accipiunt. Sed ubi moestum sol deserit orbem
Occiduus, sequiturque caput nox cincta tenebris,
Hilarion properat tecto decedere amico.
At senis ante pedes prostrati in limine fratres
Haerebant: cunctis citius mors lumina claudat,
Quam tantus miseros, ajebant, deserat hospes.
Quin abeo properans, inquit, ne taedia vobis
Ipse feram: mox causa viae cursusque patebit.
Altera jamque dies lustrabat lumine mundum:
Ecce autem armati, cunctis trepidantibus, adsunt
Gazenses, divumque truces per limina quaerunt.
Utque abiisse vident, perfusique ora pudore,
Inque vicem attoniti tales dant pectore voces:
Hic magica venit arte potens, noscitque futura.
Nempe Palaestinae postquam discesserat oris
Hilarion, et rex, Christi qui sacra reliquit,

Et Christo infensus, populos ditione tenebat,
Gaza furens regem dictis accendit amaris
In Divum Hesychiumque, domoque repente revulsa
Ipsa ambos per totum inquiri barbara mundum
Imperat, amborumque petit cum sanguine vitam.
Interea Hilarion latebras penetravit Oasae.
Hic illum totus latitantem texerat annus.
Hos etiam indignans famam pervadere saltus,
Nec posse Eois usquam se condere terris,
Aequoreum meditatur iter, sedesque repostas
In medio longe quaerit mare. Forsitan, inquit,
Quem prodit tellus, circumflua conteget unda.
Ergo iter ingressus senior, litusque peragrans
Desertum incultum, Lybicas pervenit ad undas,
Et navem ascendit: Siculos haec forte petebat.
Ecce Adria in medio correptus daemone natus
Naucleri: Hilarion, clamat, metuende minister
Numinis, aequoreis quid nos affligis in undis?
Cur tutos non ire licet? da tangere portus,
Da spatium illabi terris, ne gurgite fluctus

Ejectum in praeceps volvat, mergatque profundo.
Ille: sinente Deo, maneas; sin ejicit ipse.
Invidiae ne hominem stimulis agitabis egenum,
Nec culpae purum? referebat talia Divus,
Ne comitum appulsum terris se proderet ullus.
Nec puero oratus misero tulit ante salutem,
Quam pater ipse sibi, sociique silentia cuncti
Polliciti. Laetos pelago fert aura secundo:
Jamque rates tetigere solum, finesque Pachyni.
Ingreditur Divus, fugiensque a litore longe,
Ne forte e rubro devectus navita ponto
Prodat, deserto senior se condit agello.
Ast urbs e summo se attollens vertice montis
Qui lateat? Petri romana torquet in aede
Daemonis ira virum, qui magna voce per urbem
Ingeminat: Siculas nuper pervenit ad oras
Hilarion Christi famulus, cunctisque colonis
Ignotus credit secreta vivere terra.
Ibo, et Trinacriae pandam per litora nomen.
Ille ratem scandens siculas volat aequore ad oras;

Sic hominem daemon, sic virtus infera agebat.
Hunc tuguri ante fores porrecto ut corpore vidit
Hilarion, solvit miserum, pestemque fugavit.
Hoc vero ut Siculûm vulgavit fama per ora
Quam multa adduxit languentia corpora morbis!
Quotque sacerdotes Divi cognoscere vultum
Exarsere pii, atque audire et reddere voces!
Atque ea dum Sicula penitus regione geruntur,
Hesychius Divum per totum strenuus orbem
Quaerebat, reputans nusquam, quocumque veniret,
Posse senem latuisse diu. Sol ductus ab horis
Jam ternos cunctis compleral mensibus orbes,
Cum Pelopis fines adiens, urbemque Methonem
Judaeum tandem promentem grandia voce
Audit: Trinacriis vates apparuit oris
Christiadum; atque aliquem veterum venisse sub auras
Scilicet heroum referunt. Tot fulgida ad astra
Prodigiis, signisque viri se gloria tollit.
At Divi Hesychius subita spe fervidus ardet
Scitari, accedensque homini: dic, optime, quaeso,

Qui vultus, quae lingua viri, quae corpore vestis,
Quaeve aetas? Nobis, inquit, sic fama canebat,
Nec vatem vidi. Adriacas se mittit in undas
Extemplo Hesychius: surgens aspirat eunti
Aura levis, pelagumque secans petit arva Pachyni.
Progreditur cursu, atque efferri laudibus audit
Nomen, virtutesque patris, mirandaque facta,
Exultatque animo, et toto fert gaudia vultu.
Forte pius saevo solvebat corpora morbo
Hilarion, hominesque Dei inflammabat amore.
Ut Divi Hesychio facies apparuit alma,
Procurrit, geminasque manus cum voce tetendit:
Te tandem aspicio, rursus tua reddita nato
Ora, pater, nec me quaerentem cura fefellit.
Quos te per fluctus, et inhospita litora oberrans
Invenio! dixit lacrymans, genibusque volutus
Perstabat, plantasque senis simul imbre rigabat.
Cui sic Hilarion: laudis fuga semper adegit
Nos aliam ex aliis fugientes quaerere sedem.
Surge, ait, et dextram tendens dat pignus amoris.

Inque vicem sese vario sermone relaxant.
Jamque dies, alterque dies, cum degere campis
Hesychius sentit Divum non posse Pachyni,
Ignotosque homines, ac barbara quaerere regna,
Nomen ubi, sermoque suus, laudesque laterent.
Ergo Dalmaticas illum traduxit ad oras,
Laetus ubi vicinae Epidauri accepit agellus.
Sed quae terra sinu possit, quae litora longe
Fulgentem miris virtutem abscondere factis?
Ecce draco late volvens ingentia terga
Ore furit resonante, Boam dixere coloni,
Vastat agros, flatuque trahens armenta gregesque
Nec non agricolas immani absorbet hiatu.
Ast orat, populumque pyram componere Divus
Imperat, atque illam serpenti ascendere mandat:
Is paret torquens immensa volumina caudae.
Subjecitque senex ignem, qui ligna repente
Corripit, involvitque ferum cita flamma draconem.
Conclamant populi, et vocem cava saxa volutant.
Horridus at serpens contorto pectore saevit

Insurgens, tollitque iras, sed flamma minacem
Occidit, totasque haurit cum corpore vires.
Ecquid agat?Quo tendat iter? Quaeve ima recondant
Antra senem, tacitum vulgantibus undique signis?
Tunc etiam tellus concussa, et finibus undae
Exiliere suis, ceu Numen rursus aquarum
Mitteret eluviem terris, vel macchina mundi
In chaos antiquum vinclis resoluta rediret.
Impulsae ad montes violento vortice naves
Nutantes pendent dorso, solvique minantur.
Undarum ingentes efferri ad litora moles
Prospectant cives Epidauri e moenibus altis,
Et Divo exanimes: urbi succurre cadenti,
Affer opem, clamant, venientem respice pontum;
Atque senem veluti belli in certamina euntes
Adducunt, pelagumque adversum in litore sistunt.
Ille crucem ter signat humi, contraque furentes
Protendit dextram fluctus. Mirabile visu!
Intumuit pontus resonans, atque altus aquae mons
Ante senem increvit cumulo, spumansque fremensque

Extitit unda diu claustrum indignata verendum,
Ac demum cessit paulatim, in seque relapsa est.
Obstupuere omnes, et tanti gloria facti
Clara refulgebat linguis vulgata virorum,
Cujus et ad tardos pervenit fama nepotes.
Quid tunc Hilarion? tacitus fugit ille carina
Per noctem, et Cyprias cursu contendit ad oras.
Ecce autem Maleamque inter celsamque Cytheram
Piratae ponto in medio, geminisque phaselis
(Nam modo vicino religarant litore classem)
Occurrunt, subitusque auditur motus aquarum.
Extemplo trepidi passim discurrere nautae
Cum gemitu, raptisque parant insurgere contis,
Certatim et Divo: piratas aspice, clamant.
Subrisit senior, pacato et lumine spectans
Discipulos dictis omnes castigat amicis:
Quis vobis, male fida manus, timor occupat artus?
Num plures urgent, Pharii quam barbara regis
Agmina? Judaeos tamen insectata per aequor
Cuncta, jubente Deo, violentius obruit unda.

Has inter voces agitantibus aequora remis
Progreditur praedo, et nautis trepidantibus instat
Jactum intra teli. Sed prora constitit Heros
Piratas verbo prohibens: hic terminus esto,
Huc, inquit, venisse sat est. Ecce utraque cymba
Ipsa retro cedit, remorumque impetus omnis
Ad puppim redit. In medio stupet improba nisu
Turba repulsa salo, subitoque exterrita monstro
Regreditur, pelagoque volat, classemque revisit.
At manus interea comitum servata periclis
Exultat, Divumque colit, Zephyroque secundo
It liquidas secura vias, interque nitentes
Cycladas intendit velum. De moenibus ingens
Auditus clamor, currensque ad litora voces
Infera turba dabat. Nautae potiuntur arena,
Ingrediturque solum senior. Paphos accipit ipsum,
Urbs antiqua Cypri longum celebrata poetis,
Nunc motu concussa soli, vastaque ruina
Diruta vix priscae ostentat vestigia laudis.
Hic Divum ignoto latitantem servat in agro

Alma quies, mulcetque animum. Quid pectore volvis
Hilarion? famae quid longa silentia fingis?
Ecce homines, inferna tenet quoscumque potestas,
En cunctis clamare viis: haec litora venit
Hilarion Christi famulus, properemus ad ipsum.
Hic Curium, Lapethamque sonus, Salaminaque late
Implebat, cunctae referebant nomina ripae.
Conspicit ille dolens iterum concurrere turbam
Ingentem, nullisque pati requiescere terris,
Obsessosque homines importunasque catervas,
Egressas toties barathro nova poscere signa.
Atque aegros vidit miseratus adesse ducentos,
Quos orans sanos fecit, patriaeque remisit.
Jamque iterum ad Pharios volvebat tendere portus,
Bucoliae penetrare sinus, quos horrida circum
Gens tenet, infestatque ferino barbara cultu.
At Cypria Hesychius secessum quaerere terra
Suadet, et astantes potius conscendere saltus.
Mons erat, a pelago longe surgebat ad auras
Asper, secretus; pedibus non trita virorum

Culmina reptando poterant vix ardua vinci.
Ad montem senior magna vi tollitur altum;
Ater se longe locus offert, quem undique plantae
Umbriferae cingunt, summique e vertice collis
Plurimus humectat peramoenum rivulus hortum,
Maturique rubent fructus, sed dextera Divi
Nativos ramis nunquam detraxit honores.
At juxta pendent, disjecta mole, ruinae
Delubri antiqui, per noctes unde diesque
Inferno innumerae resonabant murmure voces
Agminis in morem ingentis. Regione locorum
Gaudet, et instantes animo jam praecipit hostes
Hilarion, atque arma parat contendere contra.
His autem duxit quinos in montibus annos
Obtectus silvis, totique incognitus orbi.
Solus difficili visebat tramite Divum
Hesychius. Sanctae extremo jam tempore vitae
Solamen Divo, seniique ea sola voluptas,
Quod nemo auderet montanum ascendere culmen.
Tanta loci asperitas, umbrarumque incubat horror!

Ast horto quondam egressus tellure jacentem
Ecce virum ante fores, membrisque trementibus aegrum
Conspicit: ecquis adest, commotus postulat Heros,
Aut quis per montes hominem perque aspera traxit?
Cui sic Hesychius: vicini villicus agri
Hic miser est, hujusque horti confinia tangit.
At senior lacrymis oculos irrorat obortis,
Protendensque manum misero: per nomen Jesu
Surge, ait, atque solo sanus vestigia firma.
Vox tota e Divi nondum prodiverat ore,
Atque ille (o mirum!) firmato poplite stabat.
Extemplo completque auras, et litora signum,
Et desperatam mirantur adesse salutem.
Aegros non durae cautes, non invia montis
Culmina deterrent; vitae spes omnia vincit.
Ecce autem vigiles observant undique villae,
Ne qua elabatur senior; nam degere eodem
Rumor ait non posse diu. Sic Divus honores,
Sic importuno vitabat murmure turbas,
Obscuros annos, et tuta silentia quaerens.

At senii gravitas pulchram jam nuntiat horam,
Quae Divum eripiat terris atque inferat astris.
Hoc jam praedixit: parvo post tempore morbus
Ipsi letalis defessos occupat artus.
Eheu! quis casus, quae sors indigna remotis
Hesychium retinet terris, prohibetque magistro
Aegrotoque vices extremas reddere patri?
At non ille tui oblitus, tibi pignora amoris
Dat moriens: legat sacrata volumina, Christi
Quae referunt vitam, et diae miracula dextrae,
Atque humilem e sacco tunicam, parvamque cucullam,
Nec non palliolum, gemmis potiora coruscis.
Ut vox missa Papho Divum denuntiat aegrum,
Quam multos accit pietas, perque ardua montis
Tollit! tuque etiam properans, Constantia, durum
Vincis iter, casuque venis conterrita Divi.
Is generum, natamque tibi de turbine leti
Eripuit, meritumque memor sub pectore servas.
Quos coram Hilarion vicino funere tristes
Ut vidit: ne me, fratres, vos deprecor, inquit,

Servate exanimum, sed in isto protinus horto,
Indutosque, ut erunt, artus mandate sepulcro.
Jamque calor super, et sensus, at caetera Divus
Pallentem toto referebat corpore mortem.
Ille tamen secum moribunda talia lingua
Dicta dabat, lucemque oculis quaesivit apertis:
Exi, quid metuis? jamque exi, spiritus, inquit,
Quid dubitas? Christo primaevo a flore juventae
Tu septem denos servisti sedulus annos,
Et mortem metuis? Sic fatus lumina clausit,
Laetusque ingreditur caelestes spiritus aedes.
Illi autem extincti Patris mandata facessunt
Flentes, depositosque artus, et frigida membra
Dant tumulo. Sed jam lugubris nuncia casus
Fama Palaestinae volitans ut venit ad oras,
Hesychii patrio contristat funere mentem.
Nulla mora: ad Cyprum tendit; nam tollere corpus
Inde optat senis, atque antiqua condere sede.
Ast illud servant populi circum: addita custos
Nocte dieque sedet Vigilantia: lumina mille

Illa movet, totidemque intentas subrigit aures
Sollicito suspensa metu, tumulumque tuetur.
En quid agat? quave Hesychius Patris auferat ossa?
Hoc ipso simulat vitam traducere in horto,
Suspicio ut cadat, et vigilis custodia gentis
Declinet secura oculos, curamque remittat.
Jam decies tenui curvarat lumine frontem
Luna polo, totidem curvatum impleverat orbem:
Tum demum Hesychius caput objectare periclis
Nil metuens aufert corpus, curamque virorum
Eludit. Quod ubi Majomam detulit ille,
Qui fratrum, et populi motus? ruere undique turbas
Aspiceres, oculos et sancto pascere vultu.
Divus erat membris, veluti si vita maneret,
Integer, illaesos etiam retinebat amictus,
Et suaves toto spirabat corpore odores,
Ceu membra Assyrio manarent oblita nardo.
Fertur in antiquam sedem: longo ordine fratres
Procedunt multo comitati funus honore.
Nec vero egregias inter, Constantia, laudes

Teque animumque pium, mulier veneranda, silebo;
Namque ubi mortales Divi tibi cernis adesse
Exuvias, vario penitus labefacta tumultu
Laberis extemplo exanimis, color excidit ore;
Tantus amor Divi succenderat igne medullas.
Ipsa ejus cineres humili celebrare sepulcro
Cum precibus, lacrymisque, insomnes ducere noctes
Hic solita, atque animo praesentem fingere Divum,
Ut responsuro tacitas effundere voces.
Quid studia hic hominum memorem, certamen honoris
Quale Palaestinos moveat, Cypriosque colonos?
Hi se animum jactant Divi, illi corpus habere.
Quippe domos utrasque adeo portenta secuta
Illustrant, Cypri sed caelo it clarior hortus;
Forte locus Divo jucundior omnibus ille,
Unde solum linquens caelestia regna potitus,
Assimilisque Deo fulget, semperque beatus.